



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 16. Malè conuersos videri à Cicerone tres Euripidis versus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Quid apud Catullum, asini nomine intelligendum
esse videatur. CAP. XV.

ASINUM videtur Catullus dixisse, non animal
quod vulgò notum est, sed lapidem molarem
in epigrammate, quò exagitavit Emilij cuiusdam
deformitatem, quem ait pistrino atque asino tradi
oportere. Græci certè & bestiam illam, & molam eo-
dem nomine appellant. itaque Hesychius ὄνον ait esse
superiorem in pistrino lapidem: Eustathius autem, ὄ-
νον τὸ μύλος. & Antronium asinum ex eo in pro-
verbium abiisse, quòd Antronij lapides habeant aptos
ad conficiendas molas. & in primo ἀνάλατος ita lectu-
ptum est: Οἱ δὲ ἐνοικοῦντες ὄνας ἀλέτες πρὸς τὸ πρῶτον
ὄρουποντες, καὶ πρῶτοντες, εἰς βαβυλωνίαν ἦρον, καὶ ἐπαύσαντες
αὐτὰρ ἐξέρχοντες σίτην, ἔξ ὄν. quorum verborum hæc est
Romuli Amasæ interpretatio: *Incola asinaria molas
circa flumen cadunt, extusasq; Babylonem deportant, in
venditis coempto frumento famem leuant, qui cur asina-
ras molas dixerit non video, ego lapides molares tan-
tùm dixissem, nam illud ἀλέτους additum est in Græ-
co sermone ad tollendam vocis ambiguitatem, quæ
in Latino nulla est. Quinetiam piscem ὄνον ex eo vo-
catum esse credo; quòd in cerebro lapides habeat mo-
larum similes, quamquam alij ab asinini corij simili-
tudine dictum autuhtant.*

Malè conuersos videri à Cicerone tres Euripidis versus.

CAPVT XVI.

NON sine causa ait Cicero, cum Orestem doceret
Euripides, primos tres versus reuocasse dicitur
Socrates: *Neque tam terribilis vlla fando oratio est,
Neque fors, neque ira calitum inuectū malum,
Quod non natura humana patiēdo ferat.*

Qui, si cuique fas est, id quod sentit, dicere, videtur eorum versuum sententiam aut non satis percepisse, aut non fideliter reddidisse, quod ut iudicari ab aliis possit, Græcos Euripidi subiiciam:

Οὐκ ἔστιν εἰδὲν δεινόν, ὡδ' εἰπεῖν ἐπ' ὅ,

Οὐδὲ πάθος, εἰδὲ ξυμφορὰ θεήλατ' ὅ,

Ἡς ἐκ ἀν' ἀργίτ' ἀχθεὶς ἀνδράπε φούσι.

primum igitur versum, si Ciceronem sequare, ita accipias necesse est: *ἐκ ἔστιν εἰδὲν ἐπ' ὅ ὡδ' εἰπεῖν*. id est: *nullum est verbum ita terribile dictu*, quod sanè, ne quid dissimulem, mihi quidem non placet, ac fieri potest, ut fallax, sed dico id, quod videtur. Deinde, quàm aptè reddatur *fors*, alij viderint, postremo in tertio versu nulla est patientiæ ac tolerantia significatio, potiusque hoc dicere Euripidem puto, Nihil, ut vno verbo eloquar, dirum ac terribile est, neque morbus neque à diis inuecta calamitas, cuius grauitati hominum natura ac conditio exposita non sit, id quod statim confirmat inuistrato, & antea inaudito supplicij genere, quo à diis affectus est Tantalus. Neque ignoro, quàm sit periculosa, ut ait Flaccus, plenum opus alex, à Cicerone dissentire: verum tamen. Mecum quidem Græcus eius poëtæ explicator, quisquis est, facit.

De quodam loco ex epistolis ad C. Trebatium accuratè disputatum. CAP. XVII.

ANGELVS Politianus capite xxviii. Miscellaneorum illustrare conatus est hunc Ciceronis locum ex epist. ad Trebat. *Hæc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignouerunt Medea, qua Corinthum arcem altam habebant, matrona opulente optimates, quibus illa manibus*

at. Miscellaneorum
lectio
LIII
25